

Sententiae.

1. Aliqua habetur analogia secundum ~~hunc~~ ens organicum, ubi idem est animatum per animam et capitatum per caput; nam simili quodam modo Christus est Deus per divinitatem et homo per humanitatem.

Quae tamen analogia in hoc deficit quod entis organici non duae sunt naturae sed una tantum, Christi autem sunt duae naturae.

Et plus valet haec analogia ubi in Christo ponitur unum esse, uti Sum. theol., III, q. 17, a. 2. Ubi autem ~~duae~~ duo sunt esse et duae naturae, uti apud H. Diepen, Rev. thom., 1950, 313, 317, iam de duobus entibus completis agitur.

2. Capreoli et Caietani sequaces aliquam intelligibilitatem inveniunt ex analogia compositionis inter essentiam et esse. Sicut enim unum ens finitum habetur per essentiam et esse, ita etiam unum Verbum incarnatum habetur per esse divinum et essentiam humanam.

Cum tamen dicant esse divinum tantummodo eminenter essentiam assumptam actuare, nullo modo per talem essentiam limitari, neque ullam esse ^{strictam} ~~veram~~ proportionem inter actum infinitum et essentiam finitam, ipsa analogia fere ^{evanescit.} ~~disparet~~

Ulterius, etiamsi "eminenter actuare" aliquem sensum haberet, remanet difficultas quod tota $\frac{1}{2}$ Trinitas pariter esse divinum habet, et ideo tota pariter incarnatur. Vide, De constitutione Christi, pp. 63 ss.

~~3. Unde N. de la Taille distinxit actum infinitum et actum finitum (RechSciRel 1928, 260-268).~~
uati
actum finitum

Problema

Est ipsum problema philosophiae christianae: agitur enim de evolutione in ipso campo philosophico peragenda, cuius tamen occasio est dogma catholicum. Si enim idemque est Deus ^{unus} et homo, ^{sive} unus idemque habet duas naturas duas essentias, divinam nempe et humanam. Si unus idemque habet duas essentias, necessario distinguuntur realiter id quod est et essentiam; secus assumpta essentia humana, necessario assumitur persona humana.

Iam vero realistae qui dicuntur nativi ideo sunt realistae nativi quia hoc capere vel nequeunt vel nolunt: (1) non solam experientiam, omni omissa intelligentia, constituere cognitionem humanam; (2) experientiam (internam vel externam vel utramque) actibus intelligendi informatam constituere non cognitionem sed cogitationem humanam; (3) cognitionem humanam ibi attingi ubi experientiae et intelligentiae advenit iudicium formaliter verum; (4) iudicium verum non reduci ad experientiam et intelligentiam sed super ea addere elementum quoddam absolutum et absolute positum.

~~Iam~~ Proinde, ex n realismo nativo sequitur necessario ^{essendi} ut intelligi non possit quid actus addat super essentiam, vel quid operari addat super habitum.

Quibus non intellectis, sequitur philosophia quae componi non potest cum dogmate. Et ideo alii, uti Scotus, Tiphanius, verbis negant sed rebus docent personam humanam a Verbo assumi; alii autem modis fingunt ut per hypotheses ad hoc inventas effugiant haeresin, uti Suarez, Caietanus eorumque sequaces; alii denique, uti opinio septima demonstrat,

Thesis 6^a.

Evolutio dogmatica christologica evolutionem exigit philosophicam non verbalem sed realem.

Termini:

evolutio: processus historicus quo augentur intelligentia, scientia, sapientia. DB 1800.

dogmatica christologica: in thesibus secunda, tertia, quarta, et quinta exhibita est.

philosophica: scilicet in iis notionibus et theorematibus quae diversis scientiis sunt communia sed explicitae et methodice in philosophia tractari solent.

exigit: posita dogmatica evolutione, sine incoherentia non excluditur philosophica.

verbalis: quae solis nominibus absolvitur.

realis: per quam ipsae res melius intelliguntur; et ideo non sufficit fingere hypothese[m] quae haeresin quidem evitat sed rerum intelligentiam nullatenus auget.

Problema:

In genere, est problema philosophiae christianae, scilicet, de evolutione in ipso campo philosophico peragenda, cuius tamen occasio historica est dogma catholicum. Recentes disputationes recitavit: M. Nédoncelle, Existe-t-il une philosophie chrétienne, Encycl. du cath. au XX^{ème} siècle, 10, Paris 1956.